

in natura secundum idem genus, quantitatem et qualitatem, ut vinum pro vino, avena pro avena, sive pretium crescat, sive decrescat: hoc enim fit secundum naturam mutui, excepta pecunia, in qua per se solus valor attenditur, non materia seu corpus.—3.º Si verò prævidebatur pretium diminuendum, damnum est creditoris, qui excessum pretii censetur condonare, cum aliter pacto æstimatorio sibi non providerit. Si tandem prævideatur pretium augendum, regulariter mutuarius liber est à damno, et restituet secundum publicam æstimationem, v. g. tres modios valentes sex florenis pro sex modiis, qui tempore initi mutui sex florenis valuerunt, nisi pactum de eadem quantitate restituenda intervenisset. Cum ergò casus isti sæpius lites pariant, optimum erit, ut mutuum celebretur cum pacto venditionis secundum præsentem valorem, quia hoc modo neutri contrahendi fit injuria.

VI. *Ex titulo dilate solutionis*, dum quis obligat se ad non repetendum debitum intra certum terminum, v. g. intra unum vel plures annos, nihil citra usuram accipi potest; ita comm. DD. Nam dilatio solutionis, et obligatio non repetendi debitum intra certum terminum, est intrinseca et essentialis mutuo ut tali, seu hoc modo celebrato; sed ratione mutui nihil citra usuram peti potest; ergò nec ratione dilate solutionis. Tum quia, secluso alio titulo, pecunia in præfixo termino numeranda tantum valet, quantum præsens numerata pecunia; ergò si quid ultra exigatur, ponitur inæqualitas et usura, ut patet ex opposita sententia ab Innoc. XI. damnata num. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor ultra sortem aliquid à mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* Et quamvis illa obligatio non repetendi intra certum tempus esset pretio æstimabilis, tamen abundè compensatur per hoc, quod pecunia interim pereat, mutuuario perit. Unde:—1.º Qui vendit mercem 110, quæ valet 100 ob dilatam solutionem annuam, vel qui anticipatè emit mercem 90, quæ tempore traditionis valeat 100, committit usuram sub contractu venditionis emptionis palliatam.—2.º Qui dat triticum antiquum deterius, ut detur novum melius, vel qui dat vinum in autumno, ut antiquius restituatur in vere, vel detur tantum pretium, quantum est in vere, et generaliter qui dat mutuum, ut restituatur plus, vel melius, vel carius, non excusatur ab usura, cum aliquid ultra sortem accipiat. (a)

122. Q. III. *An modus usuris à Justiniano lib. 26. hoc tit. præscriptus, sit licitus?*

Nota in citato loco determinari usuras:—1.º Centesimas, quæ intra

(a) Circa quæstionem: *utrum lex civilis sit justus titulus aliquid exigendi supra sortem*, videantur T. T. Moralistæ, præsertim Scavini, Tract. VI. disp. III. diss. II. cap. II. art. V. q. 5.

centum menses seu octo annos et quatuor menses adæquant sortem, danturque 12 pro 100 in trajectitia pecunia, seu nautico fænore.—2.º *Bessales*, seu centesimæ quinquagesimæ, quæ intra 150 menses seu duodecim annos et sex menses æquant sortem, danturque 8 pro 100, et hæ mercatoribus permittuntur.—3.º *Trientes*, seu tertiæ centesimarum, quæ 300 mensibus seu 25 annis adæquant sortem, danturque 4 pro 100, et hæ illustribus personis permittuntur.—4.º *Semisses*, seu ducentesimæ, quæ 200 mensibus seu 16 annis et 8 mensibus æquant sortem, danturque 6 pro 100, et hæ aliis personis permittuntur.—5.º *Quicunces*, seu 5 pro 100, quæ intra 20 annos æquant sortem, fitque earum mentio *lib. 17. princ. ff. et lib. 5. C. h. t. Jam*

R. In Germania ex asserta recepta consuetudine approbantur usuræ tantum *semisses* et *quicunces*, seu 6 vel 5 pro 100; non vero majores nisi adsit manifestus titulus plus accipiendi: secus creditor in conscientia obligatur ad excessum restituendum. Unde usuræ *centesimæ* tanquam sanguinolentæ, et *bessales* tanquam excessivæ reprobantur, nisi damnum emergens vel lucrum cessans, vel periculum pecuniæ per mare aut terras trajiciendæ tanti æstimetur.

Ceterum, licet sententia de hac asserta consuetudine in Germania recepta existimetur probabilis; quia tamen sensus sæpè homines fallit, ideo ego humanæ prudentiæ non innitendam judico, sed infallibili S. Sedis judicio decidendam relinquo.

In littera encyclica Bened. XIV. *Via pervenit*, 1 Novemb. 1745, ad omnes Italiæ Ordinarios refertur et approbatur, confirmaturque sententia Congregationis speciatim à se deputatæ circa usuras, aliosque injustos quæstus, contenta num. 2. ejusdem litteræ videlicet: *Neque verò ad istam labem (usura) purgandam ullum accessiri præsidium poterit: vel ex eo, quòd id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quòd is, à quo id lucrum solius causa mutui deponitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissimè sit impensus.*

§. III.

De contractibus usuræ affinibus.

123. Contractus isti sunt: anatocismus, antichresis in pignoribus, cambium, montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi, contractus societatis, et censualis.

124. Q. I. *An anatocismus et antichresis in pignoribus usuram continent?*

R. Affirmativè: nam anatocismus seu usuræ usurarum reprobatur *lib. 29. ff.*, et *lib. 3. 38. C. h. t.*, easque exercens, infamiæ nota notatur *l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog.*, quia de jure non datur accessio accessionis, et servitus servitutis, fructus fructuum, lucrum lucri; ergò nec dari debet usura usuræ. Si tamen usura tibi numerata fuit, nihil prohibet eam investire per modum novæ sortis seu capitalis.—*Antichresis*, qua fructus ex re pignorata ultra sortem accipiuntur, tanquam usura palliata reprobatur in Concil. Turonen. et Lateranen. sub Alexand. III. *c. 1. 2. 3. 8. h. t.* Vide dicta tit. de pignorib.

125. Q. II. *An cambium, montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi seu debiti litigiosi et difficulter consequibilis, et contractus societatis sint immunia à vitio usuræ?*

R. Per se loquendo affirmativè; nam 1.º In cambio tam *reali* seu *manuali*, in quo pecunia hujus sortis permutatur cum pecunia alterius sortis, ut argentea pro aurea, quàm *locali*, in quo pecunia datur campori in uno loco, v. g. Pragæ, ut restituatur in altero, v. g. Romæ, adsunt tituli sufficientes, vi quorum aliquid accipi possit ultra pecuniam permutatam, putà obligatio comparandi pecuniam omnis generis, periculum illam conservandi, lucrum cessans, labor numerandi, scribendi, rationes faciendi, sumptus necessarii ad alendum camporem ejusque officiales.—2.º In montibus pietatis sunt iidem tituli, vi quorum aliquid exigitur ultra sortem; et quamvis olim suspecti fuerint de usura, re tamen diligenter considerata, illos licitos declaravit Leo X. in Conc. Later. *Sess. 10.* et favet ei Trid. *Sess. 22. cap. 8. de reform.* Sunt autem montes pietatis æraria seu granaria publica piorum liberalitate constituta, ex quibus indigenti datur certa quantitas pecuniæ aut frumenti, receptis pignoribus, ea lege, ut si præfixo termino non solvat, pignus vendatur, et ità mons pietatis suam sortem et aliquid ultra recipiat; reliquum verò debitori restituatur.—3.º In olla fortunæ spes emitur, sicut emi solet jactus retis: talis autem spes est pretio æstimabilis: sed quia in olla fortunæ plerumque fraudes committuntur, ideo vix unquam à magistratibus admitti deberet.—4.º Chirographum, seu nomen litigiosum et difficulter evincibile in communi æstimatione minus valet; ergò si minoris ematur, nulla erit usura, nisi princeps vel præfectus ærarii, quibus debita evincere est facile, nomen emeret. At si nomen, seu debitum liquidum et facile consequibile, minoris ematur, est usura palliata, ut patet ex prop. 41. ab Innoc. XI. damnata: *cum numerata pecunia* etc., nam debitum, v. g. 100, valet omnino 100, neque ob dilatam solutionem fit minoris pretii, ergò si ematur 90 fit usura sub specie emptionis palliata.—5.º In contractu societatis, ubi luera et damna sunt communia, nihil usurarium apparet: imò contractus iste à jure civ. approbatus, nullibi à jure Can. reprobatur, nisi pecuniam conferens adderet pactum, ut lucrum sit commune, non verò damnum, sed sors sua maneat: tunc enim deficit æqualitas et justitia, estque talis societas leonina ex mente Casii (*l. 29. §. fn. ff. pro socio.*)

126. Q. III. *Quid, et quotuplex sit census, et an sit licitus contractus censualis?*

R. 1.º *Census* *objectivè* est pensio annua; *formaliter* est actus, quo constituitur, et *consecutivè* seu *effectivè* est, jus exigendi pensionem annuam: et qui tale jus habet, seu qui percipit pensionem, vocatur *censualista* seu creditor; et qui obligatur pensionem dare, dicitur *censuarius* seu debitor: fundus verò, ex quo pensio debetur; vocatur *censiticus* vel *censitus*.—Sunt autem species principales *census*, quinque: *census legatarius*, qui legato; *donatarius*, qui donatione; *transactilius*, qui transactione; *penalis*, qui condemnatione judicis; et *emptitius*, qui per contractum emptionis constituitur.—Rursum ex modo constituendi dividitur census in *reservativum*, et *consignativum*. *Reservativus* est, dum dominus plenum dominium rei tradit alteri, et sibi reservat aliquam pensionem annuam (*l. fn. C. de rer. permutat.*) *Consignativus* est, dum dominus retinet plenum dominium rei, et solum alteri dat, seu consignat jus percipiendi et exigendi annuam pensionem. Porro hodie rarè est in usu; sed locum ejus tenet emphyteusis, in qua utile dominium transfertur sub obligatione præstandi annuum Canonem seu pensionem: quæ si non solvatur per biennium aut triennium, emphyteuta privatur emphyteusi (*cap. fn. de locato*): at si censuarius non solvat pensiones annuas, has quidemolvere cogitur, sed fundo censuali non privatur (*argum. c. 6. vers. cum autem de relig. domib.*) *Censum* legato, donatione, transactione aut condemnatione constitutum, esse honestum et licitum fatentur omnes. Tota igitur quæstio procedet de censu emptitio seu contractu censuali, quo venditur et emitur jus percipiendi annuas pensiones ex re, aut industria personæ.

2.º *Censum* emptitium seu consignativum specificè talem dividi:—I. In *realem*, qui constituitur in re frugifera, ut agro, vinea, domo etc.; et *personalem*, qui constituitur, non quidem in ipsa persona, sed in personæ industria, labore et artificio: si verò constituatur in re et industria personæ, erit mixtus ex utroque.—II. In *pecuniarium*, qui solvitur in pecunia: et *fructuarium*, qui solvitur in fructibus, vel determinatè, v. g. ut dentur tres modii annuatim: vel indeterminatè, v. g. ut detur quarta pars fructuum.—III. In *perpetuum*, quæ non finitur morte venditoris aut emptoris, sed utrinque ad hæredes transit, licèt mutuo consensu dissolvi possit: et *temporalem*, qui constituitur ad tempus, vel certum, v. g. 10 annorum, vel incertum, v. g. ad vitam censualistæ, et vocatur *vitalitius*, qualis dependenter à voluntate superiorum solet quandoque concedi monialibus et religiosis.—IV. In *redimibilem*, qui redimi potest à creditore tantum, vel à debitore tantum, vel ab utroque, ità ut restituito et recepto pretio, ex utraque parte sit redimibilis: et *irredimibilem*, qui altero invito, tolli seu redimi nequit; benè verò utroque consentiente. Solent autem censui varia pacta adjici, ut dicitur.

3.º *Emptio* census realis est licita de jure naturali et positivo: ità

com. contra Henric., Salic. et paucos alios. Nam spectato jure naturali, licitum est emere jus totale percipiendi omnes fructus ex prædio, ut si totum prædium ematur; ergo etiam de jure naturali licet emere jus parziale ad percipiendos aliquos fructus sive in pecunia, sive in natura præstandos. Quid enim hic iniquitatis? non certè est usura, quia hæc non datur, nisi in mutuo: non inæqualitas, quia suppono dari æqualitatem inter jus emptum, et pretium lege aut consuetudine taxatum. Jure positivo Can. *Extrao.* 1. et 2. *de emption. inter com.*, expressè approbatur contractus censualis, quo emitur census realis in re frugifera: tum quia licitè emitur ususfructus (*lib. 8. princ. ff. de peric. et com. rei vend.*) partus et fructus futuri (*lib. 8. §. 2. ff. de contr. empt.*) et servitus (§. *fin. Inst. de servit.*); sed census realis est partialis ususfructus, est jus ad futuros fructus, est quædam servitus in re constituta, saltè in possessore relato ad certam rem; ergo: tum denique, quia licitus est census consignativus legato, donatione aut transactione constitutus; ergo etiam emptione constitutus, cum non minùs valeat quod emitur, quàm quod legatur, donatur et transigitur.

Dices:—Magna est inæqualitas in hoc contractu; nam si pro 100 emas jus percipiendi 5 intra 20 annos, census adæquabit sortem, et post 20 an. eam superabit, et tamen censualistæ salva manet tota sors.

R. Retorquendo in emptione totius prædii; nam si hoc emas 1000 per 20 an., fructus percepti æquabunt mille, et tamen salvum manet jus vendendi prædium mille florenis; ergo si hic nulla est inæqualitas et injustitia, ita neque in priori casu. Ratio utriusque est, quia pensiones annuæ successivè percipiendæ moraliter non valent tantum, quantum omnes simul, idque ob varias molestias, difficultates, pericula, aliosque casus contingentes, quibus obnoxia sunt pensiones annuæ.

4.º Attento jure naturali, licita est emptio census personalis: ita com. DD. contra Navar., Gutier., Fach. etc. Prob. argumentis prioribus, quæ huc ob paritatem rationis accomodari possunt: tum quia pensiones personales constitui possunt, donatione et lege, ut patet in decimis personalibus; ergo etiam emptione: siquidem personæ industria est instar agri fertilis, adedque sicut emi potest jus ad fructus ex agro, ita quoque emi potest ad fructus ex industria et lucris personæ percipiendos. Cessante autem industria personæ, etiam regulariter cessare debent pensiones, sicut interitu rei frugiferæ intercedit jus ad fructus percipiendos. Dixi: *attento jure naturali*, quia emptio census personalis prohibetur per Const. S. Pii V. incip. *Cum onus*; sed hæc Constitutio non est usu recepta in Germania, Belgio, Gallia, Hispania, sed observantur ea solum, quæ jure naturali requiruntur; putà ut sit justum pretium lege vel consuetudine taxatum, ut census anticipatè non exigatur; ut in casu, quo res censualis aut industria personæ perit citra culpam censuarii, redditus annui extinguantur.

§. IV.

De Judice, solutione, restitutione, et pœnis usurarum.

127. Q. I. *Qui sit judex in crimine usurarum?*

R. Crimen usurarum esse mixti fori; adedque judicem illius esse laicum, vel ecclesiasticum, et ex his, qui prævenerit: ita Sylv., Reiff. et alii contra Clar., Azor. etc. docentes quæstionem juris de usura pertinere ad ecclesiasticum privativè. Prob. ex cap. 12. *h. t.*, ubi cognitio usuræ indiscriminatim attribuitur principibus laicis et judicibus ecclesiasticis; nam usura plus spiritualitatis non habet, quàm alia delicta adversantia justitiæ, ut furtum, homicidium etc.; ergo.—Excipe, nisi consuetudo aliud habeat, vel quæstio sit de justitia statuti permittentis usuras: tunc enim judicis ecclesiastici examinare est, an justum vel injustum sit statutum?

128. Q. II. *An mutuarius teneatur solvere usuras promissas merè lucratorias?*

R. Regulariter negativè, quia usuræ istæ injustè petuntur. Si tamen promissio usurarum fuit juramento firmata, ob reverentiam juramenti, quod hic sine peccato servari potest, solvendæ sunt usuræ (*cap. 6. de jurejur. etc., cap. 5. h. t.*), sed solutum mox repeti potest, vel reivindicacione, si pecunia extet, vel condicione, si pecunia bona fide consumpta est. Si verò fœnerator ex pecunia usuraria aliquid comparavit, id suum facit, quia consumptione acquisivit et transtulit dominium pecuniæ; sed ad tantumdem restituendum obligatur in conscientia. Ne ambages istæ fiant, debitor sataget impetrare relaxationem juramenti, quam facere potest Episcopus, et alii privilegiati, qui in votis et juramentis dispensare possunt. Hæc pro foro interno, in quo regulariter ad restitutionem adigendi sunt, qui usuras acceperunt maximè à pauperibus et miserabilibus personis, quæ non causa negotiationis, sed præcisè propter necessariam sustentationem vel solutionem, alterius debiti mutuum acceperunt; nam in tali casu non tantum peccatur graviter contra charitatem, sed probabilis etiam contra justitiam; cum deficiente omni justo titulo, non censeatur princeps dare potestatem aliquid exigendi à pauperibus vel miserabilibus personis. In foro autem externo rarè fit talis restitutio; quia judices præsumunt aliquem justum intervenisse titulum.

129. Q. III. *Quæ sint pœne usurariorum?*

R. Seqq.—1.º Infamia (*lib. 20. Cod. ex quib. caus. infam. irrog., Can. 2. infames §. porro, 3. q. 7.*), quæ tamen infamia cessat ex usu et æquitate Canonica, si usurarius resipiscat; Bald., Felin. etc.—2.º Satisfacere nolentibus neganda est absolutio sacramentalis, Eucha-